

dum sit de eo , quod pag. 25. subjungit : *Hi omnes , inquietis , & alii passim mystici authores & Theologiae mysticæ scriptores cognitionem quandam Dei prædicant , quæ absque verbis quibuscunque habebatur , per internum quendam Dei , rerumque divinarum gustum & contactum sensibilem , in animis & cordibus eorum , qui debitum puritatis & sanctitatis statum , ad talem cognitionis gradum requisitum sunt assediti . Sane si qui inter mysticos sequiorum seculorum , a sacra doctrina abeuntes revera statuerint , se , aut alios , ad intuitivam Dei in hac vita cognitionem pervenisse , non est , cur illos moremur : ac videri de illis potest Maximil. Sandæus Lib. III. de Theol. varia Commentar. 40. ad 44. Sed postquam certum est , priores illos de quibus diximus , adeo clare negare & impugnare sententiam de visione Dei facili seu intuitiva in hac vita ; dicendum erit , eosdem , quando sibi constant , equidem cognitionem Dei absque verbis , gustum etiam aliquem & contactum quendam sensibilem , non tamen intuitivam Dei in hac vita visionem statuere .*

LVIII. Et profecto fideles , qui ex Scripturæ verbis veniam de Deo ac rebus divinis , præsertim beneficiis spiritualibus atque admirandis sententiam didicerunt ; eique doctrinæ , per supernaturalem Spiritus Sancti cum illa conjunctam operationem , assensum supernaturalem commodarunt : stante hac notitia & assensu , retentisque adeo in mente sua speciebus intelligibilibus , deinde non tam ad verba , quibus in apprehensionem rerum illam sublimium deducti fuerint , respiciant : sed his suppositis , jam porro res ipsas , prout intellectui per species intelligibiles sunt exhibitæ , meditentur : dumque a rerum carnalium aut terrenarum desideriis actualibus abstinent , & concupiscentiam refrenatam habent ; jam in profundam rerum spiritualium contemplationem & admirationem sese demittunt , & quæ in Scripturis generaliter seu indeterminate ad certum individuum continentur ; ipsi sub istis ad se descendentes , sensum aliquem spirituale bonitatis divinæ percipiunt , quo animus faviter afficiatur & acquiescat . Atqui hoc omne fit dependenter a Scripturis ; neque excludit , sed im-

F portat